



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 83. Titulus III. De Verbi Divini prædicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Canon VI. *Rectores parœcialium Ecclēsiarum ecclesiastica Sacramenta non ad-* A C. 1584.
ministrent hæreticis etiam pœnitentibus,
præterquam in mortis articulo: nisi con-
stet illos hæreses abjurasse, ut supra pro-
xime, & fidei Catholicæ professionem fe-
cisse, & absolutionis beneficium consecutos.

Canon VII. *Omnis Christianus pri-*
ma fidei rudimenta, Orationem Domini-
cam, Salutationem Angelicam, Symbo-
lum Apostolorum, & decalogum studiose
perdiscat, ut Christo, & Ecclesiæ con-
stanter adhæreat, & exitiosum virus hæ-
reseos a sana doctrina discernat, & in
eum usum ab Episcopis componantur Ca-
techismi, qui singulis diebus Dominicis
populo, & præsertim pueris a Parocho
in Ecclesia explicabuntur.

§. LXXXIII.

Titulus III. De Verbi Divini præ-
dicatione.

Verbum Dei cum veritas sit, ac ve- Labb.
ritatis unicus fons existat Deus, pag. 1073.

Synodus in titulo tertio agit de prædi-
catione, & expositione Verbi Divini,
quod argumentum novem canonibus
absolvitur, in quorum primo Synodus
ita differit: Sciant omnes Episcopi, præ-
dicandi verbi Dei munus ad ipsos præ-
sertim pertinere, ut qui a Christo missi
in locum Apostolorum successerint, sed
quia

Sæcul XVI quia neque semper, nec ubique per Dica-
A.C. 1584. cesim verbum Dei possunt annuntiare, vi-
 deant, ut eos mittant, quos sui operis
 dignos adjuutores esse noverint, ne sub o-
 vina pelle lupi rapaces in gregem Domini
 grassentur.

Canon II. Provideant Episcopi, ut
 parochialium Ecclesiarum Rectores verbum
 Dei prædicent populo singulis diebus Do-
 minicis, & festis, aut concione publica,
 aut saltem inter Missarum solemnias: &
 si per seipsos concionari non possint, aut
 memoriter recitent, aut saltem legant ho-
 milias vernacula lingua, quæ ipsis ab
 Episcopo præscribentur.

Canon III. Qui temerario ausu sine
 Episcopi, aut Vicarii licentia cathedras
 occupaverint, aut errores, vel scandala
 in populum disseminaverint, cujuscunque
 sint gradus, vel ordinis, ex auctoritate
 sacri Concilii Tridentini, coerceantur, nec
 prætextu stationum, aut quorumvis pri-
 vilegiorum juventur, provideant tamen
 Episcopi, ne impiorum calumniis vexen-
 tur, qui sincere verbum Dei prædicant.

Canon IV. Regulares, cujuscunque
 sint ordinis, prædicare non præsumant
 in ecclesiis suorum Ordinum, nisi prius
 examinati, & approbati a suo Superio-
 re, & impetrata ab Episcopo, aut ejus
 Vicario benedictione, & licentia.

Canon

Canon V. Presbyteri, & Monachi Sæcul. XVI.
A.C. 1584.
errones, nisi ab Episcopo examinati, juxta decretum sacri Concilii Tridentini, ad prædicationis munus non admittantur, cujuscunque privilegii prætextu sese tueantur, & muniantur.

Canon VI. Collectores eleemosynarum, cujuscunque conditionis existant, nec per se, nec ad collectas admittantur, nisi consensu Episcopi, causa cognita: quod si attentarint, juris remediis coerceantur, privilegiis quibuscunque non obstantibus, ex auctoritate ejusdem Concilii Tridentini sublatis.

Canon VII. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & præcipuis Collegiatis celebriorum locorum, ecclesiastes instituantur, assignatione Canonicatus, & præbendæ primo vacaturæ, si alia non fuerit assignata, cui concionandi, & interpretandi verbi Dei provincia demandetur.

Canon VIII. Nemo ad Scripturas sacras, sive publice, sive privatim interpretandas admittatur, nisi prius in Theologicæ studio diu, & probe versatus, aut in eadem facultate graduatus, aut saltem baccalaureus formatus, & ab Episcopo loci, aut ejus vicario de vita, moribus, doctrina examinatus, & approbatus fuerit, & in sacro Subdiaconatus ordine constitutus, ne improbata doctrina a non probato doctore pro veritate disseminetur.

Canon

Sæcul. XVI. Canon IX. *In Monasteriis, & conventibus, sive in titulum, sive in commendam possideantur, in quibus numerus Monachorum & facultates suppetent, instituaturs Lector idoneus per Abbates, seu Præpositos ipsorum, aut si id neglexerint, per Episcopum, seu Capitula generalia, quemadmodum decreto Concilii Tridentini cautum est, qui quidem lector aut sacram Scripturam, aut saltem literas humaniores junioribus prælegat.*

§. LXXXIV.

Titulus IV. De tollendo Sacrarum Scripturarum abusu.

Labb.
pag. 1074.

Titulus quartus exponit necessitatem omnes tollendi abusus circa sacrum Codicem, hancque in rem quatuor proponit Canones, & quidem in primo hæc præcipit: *Ea tantum in usu sit Bibliorum Latina editio, quæ ab Ecclesia Catholica recepta est, Canonici autem libri recipiantur, qui ab eadem Ecclesia admissi, & probati sunt: ceteri omnes de fide, doctrina, & Religione, quavis lingua conscripti, nisi auctoritate Ecclesiastica probati sint, rejiciantur: qui vero ejusmodi libros penes se habent, ad Episcopum deferant, ut ejus arbitrio probentur, aut rejiciantur: Typographis vero nullos de Religione, aut fide libros, sine Episcopi licentia, & probatione excudere, & venales habere liceat.*

Ca.